c ad sanguinis reiectiones, profluuia muliebria, & ad omnia interanea uulnera & ulcera, potissimũ pulmonis. Externis etiam ulceribus summè confert, si uino in quo herba hæc decocta est, lauentur atque abstergantur.

DE COCCIMELEA. CAP. CLII.

NOMINA.

KOKKIMHAEA Græcis, Prunus Latinis & officinis, Germanis eius arboris fructus Pflaumen/oder Preumen dicuntur.

GENERA.

Satiua Pruna. Duo sanè Prunorũ habentur genera. Vnum satiuorũ, in quo genere sunt nigra, candicantia, uersicoloria, cerea, hoc est, ex candido in luteum pallescentia, purpurea, Damascena, & si qua sunt alia. Alterum syluestriũ, quę Galeno lib. ij. *Pruneola.* de alimentorum facultatib. ἀγριοκλαμήλαι, & in Asia πρῦμναι, Pruneola siue Prunula uulgo nominant, Germanicè Schlehen. Caue eorum amplectaris sententiam, qui Poterium esse putant: neque enim facultates, neq; notæ Prunulis respondent.

FORMA.

Prunus arbor est radicibus summo cespite uagantibus paucis, caudice subrecto, scabro, multis brachiato ramis, folio ex oblongo ferè rotundo, per oras minutim serrato, flore candido, foliato, pomo carne cuteq; uestito, osse intus duro in quo nucleus includitur.

LOCVS.

Satiua Prunus in hortis nascitur. Damascena in Damasco Syriæ, à quo cognominata sunt. Syluestris autem passim in sepibus reperitur.

TEMPVS.

D Satiua in æstate poma sua profert, syluestris autem autumno.

TEMPERAMENTVM.

Satiuæ Pruni fructus mediocriter humectant & refrigerant. Syluestris adstringunt, ut fusius ex eorundem facultatibus innotescet.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Eius pomum estur, stomacho tamen aduersatur. Aluum mollit. Syriaca autem pruna, & præsertim in Damasco genita, exiccata stomacho utilia sunt, & aluum cohibent. Folia in uino decocta & gargarissata columellam, gingiuas & tonsillas fluxione laborantes reprimunt. Præstant idem & syluestrium Prunorũ fructus cum maturuerunt siccati. Cum sapa decocti stomacho utiliores, & ad cohibendam aluum aptiores redduntur. Gummi Prunorũ glutinat. Potum in uino calculos conterit. Ex aceto illitum, impetigines infantium sanat.

EX GALENO.

Pruni fructus uentrem subducit, recens quidem plus, aridus uerò minus. Cæterum Dioscorides, haud scio cur, Pruna Damascena siccata uentrem sistere ait, quum tamen & ipsa palàm etiam subducant, minus tamen ijs quæ importantur ex Iberia. Damascena quidem magis adstringunt: at quæ Iberia fert, dulciora sunt. Quin & ipsæ arbores fructibus proportione respondent: minus enim adstringunt quæ in Iberia nascuntur, magis uerò quę Damasci. Porrò ut in summa dicam, quarum in foliis aut germinibus adstrictio quædam ineſſe apparet manifesta, ijs decoctis phlegmonę in columella aut tonsillis existentes colluuntur. Syluestriũ fructus euidenter adstrictorius est, uentremq; sistit. Gummi autẽ arboris sunt qui dicant cum uino potum lapides confringere, cum aceto uerò puerorũ sanare impetigines. Ac si id præstat, clarum est incidendi tenuandiq; illi facultatem ineſſe. Raro fructum hunc austerum aut acidum, aut omnino iniucundum inuenias, ubi exactam matu-